



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Titvlvs XXV. De Exceptionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

neficio aut prælatura institutus est deponi possit. *c. Tria. 11. extra hoc tit.* multo magis electus priusquam confirmatus & institutus est, repelli poterit. *argum. c. Quemadmodum 23. extra hoc tit.*

Not. III. Qui delictum suo nomine pertractatum postea ratum habet, illud mandasse juris quâdam fictione censetur. *c. Cum ad sedem. 15. de restit. spol. & reg. 10. in 6.*

TITVLVS XXV. DE EXCEPTIONIBUS.

Dostquam actum est de probationibus, quæ veluti arma sunt, quibus Actor munitus Reum convincit, sequitur, vt de exceptionibus dicatur, quæ sunt defensiones, quibus Reus ictus actoris debilitat & elidit.

CAPITVLVM I.

Denique.

PARAPHRASIS.

Si crimina testibus productis per modum exceptionis obijciantur, distinguendum est: vel de ijs nunquam accusati erant, vel accusati, & quidem convicti, aut confessi in iudicio, in priori casu criminum probatio exigenda est, priusquam causa per sententiam terminetur; eò, quòd testes, si criminis infamiâ notati, aut suspicione gravati sint, repelli debeant; in posteriore autem casu statim repelluntur, nisi se ostendant innocentes. Veruntamen in priori casu tamen convicti fuerint de crimine, non tamen pœnâ ordinariâ affici debent testes; cum accusatio contra eos directa nõ fuerit; quare sufficit eos à ferendo testimonio repellere, præsertim si crimen causam, de qua agitur, non respiciat.

SVMMARIVM.

1. *Ante conclusionem in causa & sententiam latam, contra testium personas excipi potest.*

1. *Excipe, si sententia non transeat in rem iudicatam, v. g. in causa matrimoniali.*
2. *Condemnato in priori iudicio, si in posteriori idem crimen obijciatur, permittendum, vt innocentiam suam ostendat, se velit.*
3. *Ob crimen in tali casu testi obiectum & probatum, si ad causam impertinens sit, puniri testis non debet; non pauci tamen putant, extraordinariè posse, si illud confiteatur.*
4. *Si crimen ad causam pertineat, testis de eo convictus & confessus puniri potest, si est falsum testimonium, & quidem pœna ordinaria.*
5. *Vti etiam si crimen sit causa annexum, & testis suscepit iudicalem litem super crimine, & succubuit.*

Not. I. Ante latam sententiâ contra testium personas excipiendo, obijci potest; id verò intellige, quòd hæc exceptio opponi debeat, antequam in causa conclusum sit. *argum. Cap. Cum dilectus. 9. de fid. instrum. Et l. Si rem. 29. ff. de Euiet. vbi gloss. marg. ait quòd sententiâ iam latam esse, & mox ferendam esse, paria censentur.*

Excipiendum. Si sententia non transeat in rem iudicatam. v. g. in causa matrimoniali; tum etiam postea contra testium personas obijci posse videtur, quemadmodum & in causa appellationis, exceptio contra testes, sicut & peremptoriæ exceptiones, quæ antea oppositæ non erant, afferri possunt, dummodò malitiosè non fuerint dilata,

ta, videlicet ad protrahendam litem. Ita *gl. hinc. verb. per sententiam, Abb. n. 2.*

2. Nota II. Si condemnato in priore iudicio, postea in alio iudicio idem crimen obiciatur, permittendum ipsi est, si innocentiam suam ostendere velit, v.g. falsis testibus convictum, vel ex errore, aut vi illatam confessum fuisse, ita sumitur ex text. *verb. probauerint.* & tradit *Alexand. hic. n. 22.* cum enim causa iam denuo in iudiciu adducatur agendo contra Reum, ideo permittenda ipsi est defensio sua, sicuti indicavit *Innoc. in c. Cum dilecta. de rescript.* quare colligit *Alexand.* quod regula illa: *probatio concernens inhabilitatem persona, fidem facit in alio iudicio,* limitari debet, donec contrarium ostendatur.

3. Nota III. Si contra testem, eius repellendi causa, obiectum & probatum sit crimen ad causam, de qua agitur non pertinens, non debet de eo puniri, cum ad hoc actum non sit, quare sufficit hoc casu, si iuxta intentionem excipientis testis repellatur. de hoc dixi *c. 2. de ord. cog. & tradit gloss. in cap. Ex penitentibus. 55. dist. 50.* ratio reddi debet; Quia ad hoc non agebatur *argum. cap. Super his. 20. de accus.* vbi dicitur, si electus repellatur tanquam indignus ob crimen commissum, ex eo non esse privandum beneficiis obtentis; non pauci tamen putant, si talis casu testis confiteatur crimen sibi obiectum in iudicio extraordinarie puniri posse. vide, quae dixi *inc. 2. de confess.*

4. Hic dubitatum est, num testis poena & quidem ordinaria affici possit, si confessus, aut convictus est de crimine ad causam, de qua agitur, pertinente. Ex text. huius cap. vix aliquid colligi potest, cum vocula *maxime* hic Pontifex vltus esse videatur pro *indubitante* abstinere volens a disputatione quid faciendum sit, si crimen ad causam, de qua agitur, pertineat.

5. Respondeo duobus modis fieri, vt testis de crimine ad causam pertinente, convincatur illudque confiteatur. 1. Si de falso testimonio arguatur, hoc casu puniri potest a Iudice, coram quo falsum testimonium dixit. *l. Null. 14. C. de testibus.* ita vt ordinaria poena puniri possit tanquam falsarius & periur-

rus, dummodo falsum dixerit circa factum substantiale, siue per se ad causam pertinens; sin autem circa rem, quae ad causam iudicii per accidens pertinet, tum iudicis arbitrio puniendum extraordinarie docet *Menoch. in arbit. casu. 307.*

2. Si crimen testis sit causae in iudicium adductae connexum, & testis suscepit iudicalem litem super crimine & succubuit, tum poena ordinaria afficiendus videtur, *argumento l. 2. §. Si publico. ff. Ad l. iul. de Adult.* vbi dicitur: Si mulier viro de adultério ipsam accusanti obiciat crimen lenocinii, licet mulier per hoc non excusetur a poena legis, tamen maritum ob lenocinium puniri posse; idque magis locum habet, si testis crimen causae connexum sponte confiteatur.

CAPITVLVM II.

A nobis.

PARAPHRASIS.

Titius a Martino accusatus excepit contra eum, quod esset excommunicatus, ideoque repellendus; sed Martinus replicauit, quod cum ipsemet quoque Titius excommunicationem contraxerit, communicando secum in oratione & locutione, ad excipiendum admitti non debeat, hoc casu resp. *Innoc. III.* exceptionem Rei conuerti censeri legitimam, non ita replicationem Actoris; eo, quod maior excommunicatio hominem a communione fidelium (consequenter etiam a forensi actione iudicii) repellat; sed minor excommunicatio tantum a participatione Sacramentorum.

SUMMARIUM.

1. Excommunicatus maiori excommunicatione, a forensi iudicio arceri potest, non autem excommunicatus minori excommunicatione.
2. Actore & Reo excommunicato maiori excommunicatione, & Reo excipiente contra Actorem, actor replicando Reum repellere non potest.

Not.

Not. vnic. Eum qui maiori excommunicatione irretitus est, à forensi communione arceri posse, ita vt in iudicio actor non sit & Judex &c. non item qui minori excommunicatione affectus, de hoc dixi *l. i. sr. s. p. 2. e. 2. n. 14. & 6. 3. n. 4.*

Quæritur 1. Quid si vterque Actor & Reus in excommunicatione maiori sit, atq; reus contra actorem excipiat, potestne is replicando reum repellere, quod jus excipiendi non habeat constitutus in excommunicatione? Responso est negatiua, cum *Gloss. verb. Accusatione*, quia hæc exceptio non habet se proprie per modum actionis, cum tendat ad repellendum actorem, ad eoque desistendum à iudicio.

Confirmatur, nam pari ratione reus excommunicatus infamis, vel criminofus, repellere potest accusatorem vel testem excommunicatum infamem, aut criminofum, sicuti ex communi docet hîc *Alexand. n. 13. Farinac. de test. q. 56. n. 44. & 158.* Ratio est, quia in hoc casu nō reperitur paritas, vt compensationi locus esse queat, cum favorabilior sit reus, eiq; defensio facilius cōcedenda, quam actori oppugnatio; prout *Gloss. notauit. in 6. test. s. 4. verb. in hoc casu. de testibus.*

2. Quærit Glossa. Quomodo reus conuentus, qui antea communicauerat actori in oratione & locutione, postea eundem repellere possit; quia quem semel probauit, reprobare deinde non possum, *argumento. cap. Quemadmodum. 25. De iurciurando.*

Respondeo, vel sermo est de excommunicato vitando, quocum communicando in sermone, oratione, &c. minorem excommunicationem cōtraxisti, tunc nihilominus in iudicio agentem repellere potes ac debes; propterea quod approbatio non pendeat à tua voluntate, siue communicando illi, non potueris eum approbare; est enim hoc jus publicum, vt excommunicatus nō toleratus vitetur, cui iuri nemo expressè, nec tacitè renunciare potest. *cap. Si diligenti. 12. De iudiciis.* Sin autem sermo sit de excommunicato tolerato, tunc videri alicui posset, actorem repelli non posse ab eo, qui ipsi communi-

cârat, propter Regulam paulò ante traditam.

Sed contrarium dicendum est, quia favor iste concessus fidelibus, vt excommunicatum vitare possint, latè interpretandus est: videlicet quandocunque volunt, eum vitare possint, præsertim cum causæ vitandi, videlicet, contumacia hominis tractum successivum habeat.

Ad Regulam illam respondetur, locum tantum habere in rebus, in quibus consentiendo, iuri meo renuntiare videar, quod in proposito non accidit, quia iura libertatem concesserunt fidelibus, communicandi cum excommunicato tolerato, atque etiam abstinenti, quando voluerint.

CAPITVLVM III.

Cùm Ecclesiasticæ.

PARAPHRASIS.

Pontifex Iacobo Canonicatum vacantem in Ecclesia Novariensi contulerat, eumq; in possessione deduci iusserat, sed Canonici exceperunt contra illū, nolentes eum recipere in possessionem; sed & postea eundem ex mandato Papæ in possessione inductū remouere volebant, ea de causa, quia in alia jam Ecclesia possideret beneficium. Ad hoc respondit Innoc. III. Canonicos ad hanc oppositionem admittendos non esse, cum & ipsi in diversis Ecclesiis beneficia obtinerent.

Non videtur hîc sermo esse de pluribus beneficiis ipso communi iure incompatibilibus, ita vt per adeptionem secundi vacet primum. Nam in hoc casu Pontifex non permisisset Canonicos in plurium eijusmodi beneficiorum possessione, nullā factā dispensationis mentione; quare credibile est, Canonicos suæ Ecclesiæ statutum allegasse, secundum quod non liceat Canonicum recipere, qui alibi beneficium obtineret, ideò volebant, impetrationem subreptitiam esse, quia de tali statuto mentio nulla facta sit.

Quòd si iste est casus capituli, tunc eruitur

f f f

Not.

Not. vn. Canonici non possunt allegando statutum Ecclesie contra promovendum excipere, si ipsi communiter seu plerique a statuto recesserunt, quia recedendo a statuto censentur ei renuntiare aut illud tollere voluisse. *argumento. cap. Cum accessissent. 8. de constitut.*

Veruntamen si impedimentum ex pluralitate beneficiorum fuisset de jure communi, cui Canonici renuntiare illudve tollere non potuissent, tali casu, licet Canonici simili impedimento laborantes se opponere non deberent ob priuatum commodum seu interesse, quandoquidem in aliis reprobare non debent, quod in se ipsis tolerant, tamen Ecclesie utilitatem agentes admitti debuissent, non obstante proprio vitio, sicuti *Innocent. & Felinus* hic tradunt, & *Imolan. 4.* nam ad auertendum Ecclesie damnum (si v. g. ob residentiam impeditam Ecclesiastica officia peragi non possint) quilibet admitti debet, vt agat vel excipiat, *argumento cap. Si quis. 6. de reb. Eccles. non alienand. & frequens, hoc est, quod persona alioquin inhabilis ratione publicae utilitatis censeatur habilis, L. 3. §. Hi quoque. ff. Ad SC. Syluanianum.* licet aliter contra communem sentiat *Abb. hic n. 9.*

CAPITVLVM IV.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Ne per exceptiones dilatorias causae, sicuti quandoque fieri solet, nimis protrahantur, idco vult *Innoc. I II.* vt intra certum terminum Iudicis arbitrio assignandum omnes exceptiones dilatoriae opponantur, ita vt partes postea opponere volentes non audiantur, nisi prius protestatae fuerint, vel nisi exceptio aliqua de nouo emergat, vel nisi is, qui opponere vult, iuramento affirmet, se postea eius notitiam accepisse.

SUMMARIUM.

1. Exceptiones dilatoriae ante litem contestationem

nem opponi possunt, vel intra certum a iudice assignatum terminum debent, praeterquam in aliquibus casibus, qui recensentur.

2. Peremptoriae exceptiones usque ad conclusionem causa proponi possunt, neque eis terminum iudex praefigere potest.

Notandum vnicum. Iudex pro dilatoriis exceptionibus opponendis, quae alioquin saltem ante litem contestationem opponi possunt, *Cap. inter 20. De sententia & re iudicata. l. ult. Cod. De exceptionibus,* certum tempus determinare potest, intra quod opponi debeant, ita vt postea non recipiantur; praeterquam in his casibus. 1. Si prius aliquis protestatus sit, quod salua sibi exceptio in specie exprimenda manere debeat. 2. Si notitia exceptionis opponendae postea acquisita sit, *argumento cap. Insinuare. 23. De off. jud. deleg. & videri potest Glossa hic verbo, de nouo.* 3. Si antea exceptionis jus competebar, sed ignorabatur; dummodo hoc casu excipere volens iuramentum edat, quod malitiose non excipiat, videlicet litem protrahenda causa.

Addunt DD. alios casus; itaque 4. est, si exceptio quidem antea competebar, sed eius probandi facultas acquisita postea fuit, quia paria sunt non esse exceptionem, & eam probari non posse. *argumento cap. Ut circa. 4. de elect. in 6.* 5. Si tales exceptiones sint, quae simul existere non possunt, consequenter nec probari, tunc tempus definitum ad probandas exceptiones non debet currere ratione exceptionis incompatibilis. *argumento. l. Contra. 16. Cod. De inofficioso testament.* vbi dicitur: si actiones cumulari non possint, v. g. si quis querelam inferre velit, quod testamentum non sit perfectum, addendo: etiamsi perfectum sit, quod inofficiosum existat, tunc quinquennium iure decretum pro priore actione, non currere actioni posteriori. vbi *Glossa noua margin. allegato hoc cap.* ait, quod habens duas exceptiones, quae simul probari nequeant,

queant, si in vna succumbat, ad aliam transire possit, iuxta *Regulam 20. in 6.* quod nullus pluribus defensionibus uti prohibetur.

Exemplum habes in peremptoriis exceptionibus, nam de his eadem est ratio, vt postea dicam; Si quis de solutione decimarum à Parocho conventus excipiat, se privilegio exemptum esse, aut si exemptus non sit, se 40. annorum præscriptione tutum esse. Hæ duæ exceptiones simul consistere non possunt, consequenter nec probari, siquidem is, cui jus immunitatis à decimis titulo privilegij competit, illud præscriptione acquirere non potest, cum hæc inter se repugnent, sicuti doctè notavit *Alexand. de Nauo. hic n. 40.*

Dices. Qui contraria, seu quæ simul vera esse non possunt, in iudicio proponit, audiendus non est, sed tanquam fallax & mendax repelli debet, & condemnari. *argument. l. 1. §. Interdum. ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, & ex pluribus Juribus ostendit Dynus in Regul. 20. in 6.* ergo neque is, qui exceptiones contrarias, seu quæ simul consistere non possunt, in iudicio proponit, audiri debet. Respondeo. Quod reus conventus oppositas exceptiones afferat, non afferendo vtramque veram esse, nam qui excipit, non propterea fatetur, uti ait *Gloss. in cap. 1. verb. Affectu de testibus. in 6.* In proposito itaque exemplo asserit quidem Reus, se privilegium habere, addit verò si in eius probatione succumbat, tum se probaturum, quòd præscriptione tutus sit, quo casu absolute non ait se præscripsisse, sed ex hypothesi, si actor nolit privilegium agnoscere, quòd præscriptionem probare velit.

Pari quoque ratione Reus contraria ad sui defensionem proferre potest, sub conditione, si videlicet neget intentionem adversarij, dicendo: quòd nihil ipsi debeat; aut si deberet, quòd remissio facta esset per pactum, nullum petendi debita, seu omnia condonandi, sicuti dixi

in cap. 2. De litis contest. in 6. & docent DD. in l. Si quidem. 9. Cap. De exceptionibus. vbi Baldus ait, si Reus dubitat, num intentionem suam actor probare possit, consultum esse, vt duo cumulet, videlicet neget, & tamen probatum esse videatur, exceptionem obijciat, dummodo id bona fide fiat, alioquin in conscientia non est tutus, qui negat debitum, quòd probari non potest, sciens se debitorem esse. 6. Casus excipitur, si exceptio de incompetencia Iudicis obijciatur, ea etiam post terminum à Iudice præfixum locum habere potest, si talis sit Iudex, in quem pars consentire non potest, v. g. Clericus in iudicem Laicum; nam hæc est exceptio nullitatis, videlicet ob jurisdictionis defectum, qualis exceptio semper opponi potest, etiam post latam sententiam, uti tradit *Abb. hic. num. 16. Gloss. in Clement. 1. de sequest. 7.* Exceptio excommunicationis actori in qualibet litis parte opponi potest, non obstante termino præfixo partibus ad proponendas dilatorias exceptiones. *Clement. vn. hoc tit. 8.* Exceptio mixta v. g. litis finitæ, licet opposita non sit per modum dilatoriæ ad impediendum processum, tamen haud dubiè opponi postea potest per modum peremptoriæ, ad infringenda merita causæ. *cap. 9. De litis contestat. in 6.* Videri potest *Speculator. l. 2. p. 1. tit. De dilacionib. n. 8. junct. Ioan. Andr. verbo, opponuntur.*

Querunt hoc loco, vtrum Iudex peremptoriis exceptionibus terminum præfigere possit. *Glossa hic verb. dilatoria.* negat, nam jura permittunt, vt peremptoriæ exceptiones opponi possint, quousque in causa conclusum est, teste *Glossa in cap. Exceptionem. 12. verb. in dilatoriis. hoc titulo.* Atqui indultum à Iure beneficium non est alicui auferendum *Reg. 17. in 6.* Accedit, quòd hîc de graui præiudicio agatur, si ab exceptionibus peremptoriis, seu ad causæ meritum pertinentibus quispiam excludatur. Hæ rationes ostendunt, quòd Iudex non tam facile & non nisi præmissâ causæ cognitione terminum per-

peremptoriis exceptionibus statuere possit, sicuti docet Dynus in cit. Reg. 17. argumens. l. 2. ff. de iudiciis.

Veruntamen casus supradicti, quod non obstante termino assignato, exceptiones proponi possint, si postea ortæ, cognitæ, aut earum probandarum facultas data sit, de cætero multò magis in peremptoriis locum habent, propter grauius periculum, si parti denegentur. vt hic Abbas. num. 5. notat.

CAPITVLVM V.

Cùm inter.

PARAPHRASIS.

Inter Priorem & Conuentum de argentario ex vna parte, & nobilem N. ex altera parte lis erat propter damna illata, & quedam alia, quam causam Innoc. III. quibusdam delegauerat, sed procurator eius nobilis iudicium horum declinare voluit, eò quod duos ex ipsis suspectos haberet, sed contra replicauit monasterij Procurator, cum nobilis in excommunicatione sit, exceptionem illam opponi ab ipso non posse; hoc intellecto, respondit Papa, quod dicto Nobili legitima defensio in iudicio reservata sit, præsertim iudicis recusatio; cum periculosum sit, coram suspecto Iudice litigare; neque Sedes Apostolica solet ex certa scientia talibus causas delegare; neque verò hac in re excommunicato favor tribuitur, sed æquitas in iudicando, quippe cum iudicium claudicare non debeat, & id eò absurdum foret, si actore impugnante, Reo copia defensionis negaretur; accedit, quod excommunicato si in aliqua causa innocens reperitur, sententia iustæ absolutionis non negetur, sed nec appellationis remedium, si iniuste condemnatus sit, ergo non apparet, cur alia similia & necessaria remedia defensionis eidem subtrahantur. Porro ex hoc non sequitur, quod etiam reconuentio eidem competere debeat; nam quod in defensionis remedium conceditur, id ad im-

pugnationis materiam extendi non debet.

SUMMARIVM.

1. Papa Iudici suspecto causam delegans, præsumitur id egisse ex ignorantia. Neque negare potest remedium recusandi talis iudicis suspecti.
2. Inter litigatores æquitas seruari in iudicio debet.
3. In eodem Excommunicatus non admittitur, vt Actor, sed tantum vt Reus.
4. Excommunicatus extra judicialiter grauatus appellare non potest.
5. An & quomodo excommunicatus compensare possit debitum.
6. Reo excommunicato reconuentio non conceditur.

NOta I. Si Papa Iudici suspecto causam deleget, præsumendum est, id eum egisse ex ignorantia, cum non solet ex certa scientia talem facere delegationem, quia periculo non vacat, si Iudex inimicus aut suspectus parti litiganti sit. cap. Quod suspecti. 1. 5. causa. 3. quest. 5. Imò Abbas hic. num. 9. ait, quod Pontifex ne quidem ex potestatis plenitudine suspecti Iudicis recusandi remedium denegare possit, saltem in causis dependentibus à mera eius potestate; eò quod defensio ipsaque recusatio Iudicis suspecti, alicui debita sit de iure naturali, cui Princeps sine iusta causa derogare non possit. Clement. 2. §. Caterum. de sententia & re iudicata. Sed videri debent, quæ dixi in cap. Ex parte. 13. de officio delegati, & tradit Alexand. in cap. Dilecti. 26. de testibus, licet defensio, quæ à naturali iure est statuta, tolli nequeat, possent tamen tolli defensionis remedia, quæ à positivo iure introducta sunt, quia Civilis ratio civilem rationem tollere potest. §. Sed naturalia. instit. de iure naturali, Gent. & Civil.

NOta II. Inter litigatores æquitas seruari debet in iudicio, non habitæ personarum acceptio, iuxta Regul. 12. in 6. in iudiciis non est habenda acceptio personarum. & reg. 90. ff. in omnibus quidem, maxi-

maximè autem in iure, id est in iudicio (ait, glossa ibidem) spectanda est æquitas, iniquitas autem seu inæqualitas contententiū in iudicio ea maxima esset, si unilicentia oppugnandi daretur, alteri autē defensionum copia negaretur, id verò procedit absque personarum differentia; siue, inquam accusatus probus sit, siue improbus, vilis & inops, aut in potestate constitutus, & diues. Videri potest *Suar. de cens. D. 16. S. 4. n. 2.*

Notandum III. Excommunicatus in iudicio non admittitur vt actor, sed tantum, vt Reus. Ratio reddi debet, quia actor voluntariè prouocat ad iudicium, cum nemo agere compellatur; quamobrem neque iniuriam passo permittitur, vt eam in excommunicatione positus prosequatur, neque vt in possessionem, à qua iniuste deiectus est, restituatur; neque petere potest excommunicatus, vt Iudex compellat actorem ad litem prosequendam, vel vt pronuntiando super sua exceptione silentium ei indicat, sicuti hinc videre licet apud *Abbatem, Alexand. Felin.* & alios; nam per talia commodum ipse suum intendit, quod ei non permittitur, nisi prius absolutionem petat ab excommunicatione, in qua voluntariè persistit, ideoque suæ culpæ imputare debet, quòd iustitia ipsi non administratur.

At verò Reus necessitate compellitur ad sistendum se in iudicio, quia Iudicium redditur etiam in inuitum. *l. Inter. 83. §. Si stichum. ff. de verborum obligatione.* Cum autem excommunicatus quamuis in contumacia persistens, in iudicio ad obiecta respondere cogitur, ne ex iniquitate commodum reportet. *c. Intelleximus. 7. de Iudice. C. Intelleximus. 7. de Iudiciis.* consequenter omne remedium defensionis ipsi concedendum est, *c. Significauerunt. 11. hoc. tit.* ne aliqui accidat, vt innocentes condemnentur, vel condemnati iniuste puniantur, vel bonis suis spoliarentur, si appellationis, vel aliud necessariæ defensionis remedium denegetur.

Extrajudicialiter tamen grauatus appellare non potest, qui in excommunicatione est, eò, quòd talis ipsemet ad Iudicium prouocet, appellans autem à Iudiciali grauami-

ne non inchoat iudicium prouocando, sed potius prosequitur se defendendo; idè-que sentiendum de eo, qui appellare vult à grauamine non merè extra iudiciali, videlicet ab executore, qui alium vult constituere in beneficio, quod tu possides, talis appellatio cum sit per modum necessariæ defensionis, contra executionem sententiæ, excommunicato permittitur, sicuti tradit *Monach. in c. 1. hoc. tit. in 6. n. 4. ibid. Domin. column. 2.*

Quòd si aliquis voluntariè se iudicio subiciat, petendo. v. g. vt alter crimen, de quo ipsum infamauit, in iudicio ostendat, sit minus, silentium ei imponatur *l. diffamari. 5. C. de Ingenuis.* In tali casu excommunicatus admittendus non est, sicut docui in *c. Exhibita. 29. de Iudiciis;* & videri debent, quæ de Reo necessario & voluntario hinc docent *Innotens. & Imol. n. 10. Sayrus. l. 2. thesaur. c. 8. n. 117.*

Queritur hinc num excommunicatus con-⁵ uentus de debiti solutione, compensationem obicere possit, videlicet in debitis suæ præ natura compensabilibus, sicuti docui in *c. Cum Joannes. 10. de fide Instrum. gloss. hic verb. Excommunicatione.* & plures alii negant, quia compensare sit agere ac petere. *argumento. l. Quæcunque. 14. ff. de compensationibus. l. Amplius. 13. ff. Rem ratam haberi.* quibus locis dicitur in debito inefficaci videlicet, quod per exceptionem peremptoriam. v. g. pacti de non petendo, elidi potest, compensationis locum non esse, sed oppositum placet, quod hinc tradunt *Annon. & Abbas. n. 23. Suar. de cens. D. 15. S. 3. n. 3.* nam in quouis negotio principalis intentio & effectus spectari debent, qui autem petenti debitum 100. aureorum ex mutuo compensandi causa obicit, vicissim petendo totidem aureos ex vendito sibi debitos, is principali intentione & effectu excipit ac se defendit, quod facillè probatur; cum enim compensatio, veluti solutio quædam moraliter æstimetur. *l. 76. ff. de verb. signif. vbi legitur dedisse etiam eum,* intelligendum esse, qui compensauit, constet autem eum, qui solutionem factam obicit, jure defensionis

& exceptionis, uti, cum exceptio non sit aliud, quam actionis exclusio, uti docui *tract. 3. c. 2. n. 1. de iustitia*. sequitur quod compensationem obiciens, principali intentione & effectu excipiat, & se defendat.

Ad rationem positam respondetur, quod Reus conuentus super debito pecuniario v. g. ex mutuo, si vicissim petat pecuniarium debitum ex vendito, animo compensandi, principali intentione excipiat, & se defendat, huiusmodi tamen defensio nulla est, si debitum, quod causa compensandi obiicitur, inefficax sit, seu per exceptionem, aut potius replicationem elidi possit, ut si pupillo sine ratore aliquid vendiderit maior natu.

Non obstat etiam quod compensare volens debitum probare debeat, id eoque veluti actor sit, nam omni exceptioni hoc commune est, quod eam obiciens probare teneatur, & hac saltem consideratione quodammodo actor sit, in aliis tamen, adeoque absolute loquendo, excipiens distinguatur ab agente, quia actionis proprius & principalis effectus est oppugnare; Exceptio autem defensio quaedam est contra oppugnationem.

Nota III. Reo excommunicato reconuentio non conceditur.

Ratio est, quia reconuentio, cum sit reciproca petitio de mutuis petitionibus, non defensionis & exceptionis, sed actionis naturam obtinet; intelligitur autem de reconuentione proprie dicta, seu obiectione eius, quod est extra causam ab actore in iudicium deductam; secus autem esset, si id, quod actori obiicitur, subleuet causam Rei, ita ut ad defensionem ipsius pertineat, sicuti *notat Suar. l. 6.*

CAPITVLVM VI.

Cum Venerabilis.

PARAPHRASIS.

Episcopus Sabinensis coram auditoribus ab Innoc. III. deputatis, litem habuit cum Monasterio Farfensi super Ecclesia S. Viti, quam una cum possessionibus & pertinentiis voluit ad se pertinere in spiritualibus

bus & temporalibus. Procurator autem Monasterii, antequam Episcopus intentionem fundaret, praepropere respondit; tametsi Ecclesia illa Episcopo olim fuerit subiecta, quod tamen Episcopus eam vindicare non posset, quandoquidem permutationis titulo in Farfense Monasterium translata sit, & hoc ostendit instrumentum exhibens, in quo contineri videbatur, quod Theodosius Episcopus cum consensu Canonorum Ecclesiam S. Viti, cum aliis quibusdam permutans Ecclesiis, Monasterio concesserit: tunc vero Episcopus proposuit intentionem suam hac ipsa responsione fundatam esse; dum enim aduersarius fatetur Ecclesiam ab Episcopo ad monasterium permutationis titulo peruenisse, permutatio autem, cum inter contractus bonae fidei numeretur, non nisi cum Domino, vel eo, qui loco Domini est, legitime celebrari possit, sequitur quod idem aduersarius fateatur tempore permutationis celebrata, dictam Ecclesiam ad Sabinensem Ecclesiam pertinuisse, sed contra obiecit Monasterii procurator, cum id a se dictum fuerit per modum exceptionis, non ideo censendum se de aduersarii intentione confessum esse. Postea Episcopus testes induxit, per quos probare conabatur, quod Episcopi Sabinenses Ecclesiam S. Viti diu possederint una cum pertinentiis, de iis pro sua voluntatis arbitrio disponentes. His relictis Innoc. III. respondit, quod Episcopus intentionem suam nec per testes fundarit, nec per procuratoris confessionem; propterea, quod exceptionem obiciens non propterea de aduersarii intentione fatetur censetur, sed neque ex instrumento intentio Episcopi stabilitur, nam in eo continetur, quod quidem permutatio cum Theodosio Episcopo instituta fuerit, sed non additur fuisse Sabinensis, tametsi hoc in transumpto, quo Procurator usus fuit, appositum sit vitio falsitatis, verum quia delictum personae (videlicet falsantis) in Ecclesiae detrimentum redundare non debet; atque falsitatis exceptio non tantum

tum ante, sed etiam post latam sententiã obici possit, eò quòd ex falsis instrumentis lata sententia vsque ad 20. annos rescindi queat, compertã veritate. Concludit ex his Pontifex, nullum Monasterio in temporalibus præiudicium inferri posse. At verò cum dicta Ecclesia S. Viti intra Dioccesin Sabinensem posita sit, ideò ius Episcopale eidem adiudicatur, cum nec per priuilegium nec præscriptionem legitimam probetur exempta, quibusdam solum exceptis, quæ per scripta authentica ostensa erant ab Episcopali Iurisdictione liberata, verùm quoad temporalia, licet Episcopus ostenderit, se eius bona Ecclesiæ aliquandiu possedisse, quia tamen legitima præscriptione munitum se non demonstrauit, ideò monasterium ab impetitione Episcopi quoad temporalia absolui debet.

SUMMARIUM.

1. Ecclesia late loquendo, cum pertinentiis suis vendicari potest ab eo, cui jus in ea competit.
2. Ecclesia vna, cum altera Ecclesia, si Prælati competant, jure proprietatis permutari potest cum consensu eorum, quorum interest. Et quis modus in ea permutatione seruandus.
3. Episcopi intentio fundata quidem est erga omnia loca sacra intra dioccesin quoad jus spirituale, non tamen quoad iura temporalia.
4. Vacantis autem Ecclesiæ solum est administrator de communi jure. Et quid ei competat ratione huius administrationis.
5. Permutationis contractus institui non potest, nisi cum domino rei permutanda, vel qui loco domini est.
6. Qui contra aduersarij intentionem excipit, non ideò eam fatetur censetur.
7. Doctrina hic tradita de exceptione Rei, intelligenda etiam est, de replicatione & triplicatione actoris.
8. An producens instrumentum in iudicio à se, vel ab alio, mandato suo falsatum, eadæ causâ?

9. An producens instrumentum, contenta fateri censetur, licet illud postea reprobetur tanquam falsum.

10. Sententia lata ex falsis instrumentis retrahari debet.

11. Actio de commisso crimine falsi criminalis, intra viginti annos institui potest.

NOTA I. Late loquendo etiam Ecclesia¹ cum pertinentiis suis vindicari potest ab eo, cui jus in ea competit. Ita docet Innoc. in c. *Cum Venerab. n. 2. De religiosis domibus*; licet enim l. *In rem. 26. §. Loca sacra. ff. De Rei vindicatione.* dicatur, quòd loca sacra & religiosa, tanquam nostra, actione in rem petere siue vindicare non possimus, id tamen intelligi debet de vindicatione directa & propriè dicta; interim conceditur indirecta petitio siue vindicatio videlicet juris, Episcopo, vel Rectori competentis in Ecclesia, si quasi possessionem amiserit.

Nota II. Ecclesia vna cum altera Ecclesia² si Prælati competant, jure proprietatis permutari potest, consentientibus iis, quorum interest; quòd si redditus Ecclesiarum æquales sint, tunc vnà cum Ecclesiis, tanquam accessoria, siue pertinentia transire possunt, alioquin si inæquales sint, ne Simonia vitium concurret, si fortè jus spirituale vnus Ecclesiæ astimetur, & in compensationem Rei redditus maiores tribuantur, ideò hoc casu conuenit, vt Jus spirituale Ecclesiæ cum jure spirituali alterius Ecclesiæ seorsim permutetur, & postmodum redditus vtriusque collati secundum æqualitatem compensentur. c. *Ad questiones. 6. de rerum permutatione*, & explicat hic *Alexand. n. 2.*

Nota III. Licet Episcopi intentio fundata sit erga omnia loca sacra intra dioccesin quo ad jus spirituale, non tamen quoad iura temporalia, vt de iis ad libitum disponere possit, tamen Ecclesiæ vacent, ait *Abbas n. 6.* habet tamen Episcopus spectato communi jure administrationem, dum Ecclesia vacat, ad eundemque pertinet in iudicio agere pro iuribus Ecclesiæ vacantis, vt hic Innoc. tradit *argumento. c. Cum dilectus. de success. ab intest.* quamuis id non satis fecurum

curum sit, vti dicitur *tit. sequente*. Dein quòd Episcopus, antequam beneficium conferat, de fructibus eius superabundantibus quidpiam ad pios vsus applicandum subtrahere possit, docet *S. Thomas. 2. 2. q. 100. a. 4. ad 3.* Quamuis hodie praxis Rom. Curia id permittere nolit, qua de re dixi *l. 4. tract. 2. c. 18. q. 3.*

4 Nota IV. Permutationis contractus institui non potest, nisi cum domino rei permutandæ, vel qui loco domini est. Ita docet *Pedius in l. 1. §. Ideoque. ff. De rerum permutatione*. Si res aliena permutata sit, irritum esse permutationis contractum, in quo differt permutatio à venditione, quæ valida est, etsi res aliena emptori ignoranti vendita sit, quia venditor pro dato sibi pretio ad euictionem obligatur, vti docui *l. 3. tract. 4. c. 17. n. 21.*

Ratio discriminis est, quia venditio & emptio solo consensu dandi, seu transferendi mercem pro pretio perficitur, & cum semel perfectus sit contractus, non corrumpitur, tametsi executio, siue translatio domini non fiat iuxta promissionem, sed agitur tunc de euictione ad interesse. *l. Venditor. 18. ff. De euictionibus*. At verò permutatio non perficitur consensu, sed traditione, seu rerum translatione mutuâ; quare si hæc translatio domini ex vna parte non impleatur, ex altera parte locus est reuocationi seu contradictioni ob causam, causa non secuta. *l. 1. C. de rerum permutatione*. Et idèd fortassè Monasterium etiâ probârît permutationis contractum secum celebratum fuisse, non tamen probauit Ecclesiam S. Viti ad ipsum pertinere, quia non ostendit permutationem omnino impletam fuisse.

5 Porro exinde colligit *Abbas. hic. n. 27.* Si duo Clerici cum Episcopi auctoritate permutârînt beneficia, & vnus eorum non habuerit jus in permutato, irritam esse permutationem, & idèd alterum permutantem redire posse ad beneficium, cum non absolutè ei renunciârît, sed ob causam permutationis, quæ secuta non est. *argumento. cap. Si beneficio. 20. de prebend. in 6.*

Not. V. Qui contra aduersarii intentionem excipit, non idèd eam fateri censetur, vti dixi in *c. 1. hoc. tit.* Exemplum habes hîc: Episcopus vendicauit sibi Ecclesiam cum possessionibus pertinentibus, fundans se in iure domini, aut quasi domini, quod probare non poterat. Monasterii procurator excepit de facta permutatione, sed non propterea absolutè fassus est, Episcopum jus domini, vel quasi habuisse in Ecclesia & pertinentibus, sed posito, quòd habuisset, tamen istud permutatione translatum fuisset, quamuis, vt dixi, ex solo contractu permutationis id sufficienter non ostendatur. Ratio huius notandi est, quia hoc ipso, quòd aliquis litem contestatam seu in iudicio contendere vult, cum maximè potest, aduersarii intentioni se opponit, eamque in dubio confiteri censendus non est; cum itaque Reus non vnâ tantum defensione. v. g. negata intentionis vti possit, sed insuper pluribus aliis exceptionibus, posito, quòd actor intentionem probâsse videatur, idèd existimandum est, si Reus in iudicio contendens excipiat contra aduersarium, quòd non statim eius intentionem fateatur, quandoquidem talis exceptio vnâ cum negata intentione consistere potest. *l. Si quidem. 9. C. hoc. tit.* & videri potest *gloss. in Reg. 63. in 6.* vbi tamen monet, tutius esse, si sub conditione ita dicatur, nego me tibi promississe hoc, & posito quòd promiserim, tu pactus es mecum de debito non petendo.

Addendum quod hîc dictum est de exceptione Rei, similiter esse intelligendum de replicatione actoris secundum *gloss. finalem in cit. Reg. 63.* nam sicuti se habet exceptio ad actionem, ita replicatio ad exceptionem, & triplicatio ad replicationem. *l. 2. ff. de exceptionibus.*

Porro aduertendum est, quòd Papa aliâ quoque ratione ostendat, intentionem Episcopi fundatam non esse, quia instrumentum ab aliquo, fortassè ipso Procuratore falsatum erat, appositione vocule: *Sabinensis*; dolus autem commissus Monasterio

nafterio ignorant, nec mandanti obesse non debet.

8 Sed quid si Monasterium ita fieri mandasset, vel si priuatus aliquis actor instrumentum tali modo falsasset? *Gloss. Resp. hic.* quod causâ cadere deberet propter falsationem, & potest ratio adiungi, quia exhibens instrumentum, censetur omnia in eo contenta confiteri, itaque & hoc quod permutatio facta sit ab Episcopo Sabinensi. Quod ad 1. horum attinet, communiter est recepta doctrina *Bartoli in l. Falsum. C. Si ex fals. testimonis* & explicat *Felin. hic. n. 22.* quod falsum instrumentum, aut corrumpens testes, nō ideò causam perdat, cum id nullo iure statutum sit, at verò falsans acta iudicii, v. g. à notario scripta, causam perdere debet. *argum. l. In fraudem. 45. §. Quoties. ff. de iure fisci.*

9 Ad alterum punctum, num is qui instrumentum produxit, eius contenta confessus censeatur, tamen postea tanquam falsum reproberetur. *Resp. negatiuè cum Innocent. hic. n. 5. Felino. n. 24.* quandoquidem non absolutè confessus est, v. g. Capituli consensum in alienatione fundi interuenisse, sed quatenus in eo instrumento continebatur, igitur corruente instrumento, corrui etiam confessio; sed alia ratio esset, si quis absolutè confessus esset quidpiam, & ad id probandum produxisset instrumentum falsum, confessio eius subsisteret, etiam reprobo instrumento.

Idem discrimen cernitur in positione, quam aliquis absolutè facere potest, ita, vt confiteri censeatur, quod ponit, & resp. t. uè. v. g. pono alienationem cum Capituli consensu factam, sicut in instrumento continetur, tunc si in instrumēto non contineatur, vel instrumentum falsum & supposititium sit, corrui confessio.

Excipiendum videtur, nisi, sciens instrumento non contineri, aut falsatum esse, illud offerat, aut ponat contra seipsum, tunc censi debet absolutè confiteri, & ad confessionem suam confirmandam instrumentum falsò allegare, vti ex hoc Capitulo colligitur, quando ratio additur, quod deli-

ctum persona Ecclesie obesse non debet; hinc enim colligitur, si ipsum Monasterium, videlicet Prelatus & Conuentus, tale instrumentum scienter produxisset, vel produci mandasset, quod propria confessione sibi præiudicasset, & ita docet *hic Alexand. n. 64. Felin. n. 27.*

Nota VI. Sententia lata ex falsis instrumentis retractari debet, prout dictum est in *Capitulo. 9. not. 3. de probationibus.* & habetur in *l. Diuus. 33. ff. de re iudic. §. l. 2. C. Si ex falsis instrumentis.* quibus locis tradunt DD. quod talis sententia, si contra præsentem lata sit, valeat mero iure, sed implorato Iudicis officio intra quadriennium rescindi debeat per in integrum restitutionē, dein succurri possit, intentatâ ciuili actione in factum ad petendum id, quod in re est, intra 30. annos; nam tanto tempore contra actiones personales præscribitur. *l. Sicut. 4. C. de præscriptione. 30. vel 40. annorum.* Exceptionem autem de dolo & falsitate commissâ ad impediendam executionem semper opponere licet. *l. Puer. 5. §. Non sicut. ff. de doli & metus exceptione.* quia vt *Gloss.* ait in *l. Licet. 5. C. de except.* temporalia ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum, ob rationem elegantem traditam in *cit. §. Non sicut:* Quia actor quidem in potestate suâ habet, quando vtatur iure suo, is autem cum quo agitur, non habet potestatem, quando conueniatur.

Denique si pars de commisso crimine falsi criminaliter accusetur, vel conueniatur, ea accusatio intra annos 20. sicuti & alie criminales actiones institui possunt. *l. Querela. 12. ad legem Cornel. de falsis.*

CAPITVLVM VII.

Olim.

PARAPHRASIS.

Wilhelmus ab Archiepiscopo Treuirensi, qui Iudex delegatus à Papa impetratus erat, comparuit, & exceptionem decli-

ggg

nato

natoriam proposuit, quod ultra duas diætas ad iudicium traheretur, sed cum Archiepiscopus exceptionem admittere nollet, ad sedem Apostolicam appellauit, quare Innoc. III. causam hanc Abbati S. Laurent. & Coniudicibus delegauit, coram quibus contra exceptionem Wilhelmi ex aduersâ parte replicatum fuit, quod is ultra duas diætas extra suam diœcesin non traheretur, quandoquidem Archiepiscopus locum partibus designauit, secundum quem V. Wilhelmus supra duas diætas non traheretur, de hac replicatione certior factus Pontifex, alio rescripto mandat Abbatibus S. Huberti & S. Martini, si Procurator V. Wilhelmi probare potuerit exceptionem suam, quod ultra duas diætas tractus fuisset contra Generalis Concilii constitutiones, ut appellationem ipsius legitimam decernant, ac principali negotio super se deant.

SYMMARIUM.

1. Exceptionem declinatoriam jurisdictionis, vel similem dilatoriam opponens, si non audiatur, & appellet, iudex appellationis de causa principali cognoscere non debet, nisi eius cognitio expressè ipsi foret commissâ.
2. Reus per rescriptum à Pontifice impetratum trahi non debet ad locum iudicii ultra duas diætas; hodie vnâ tantum.
3. Iudex delegatus non potest exire locum commissionis.
4. Reus per Apostolicum rescriptum ultra vnâ diætâ à fine diœcesis citatus comparere non tenetur, si citato notoriè competat exceptio furi declinatoria.

NOTA I. Si quis exceptionem declinatoriam jurisdictionis, vel similem dilatoriam opponens non audiatur, & contra Iudicem appellet, tunc iudex appellationis de causa principali cognoscere non debet.

Ratio est, quia de eo tantum debet cognoscere, super quo appellatum est, cum iudex appellationis succedat Iudici à quo

appellatum, cum itaque Iudex à quo, super causâ meritis nihil cognôrit, neque Iudex appellationis cognoscere debet, vti *hic Alex. notat. n. 13.*

Excipe nisi Iudici appellationis, si delegatus sit, cognitio causâ principalis expressè committatur, vti videre est in *c. Ex parte. 67. de appellationibus.*

Nota II. Reus ad Iudicem, coram quo iure ordinatio conueniri non posset, per rescriptum à Pontifice impetratum trahi non debet ad locum ultra duas diætas (hodie verò ultra vnâ diætâ, seu vnus diei iter, *c. Statutum. 11. §. Cùm autem de rescriptis. in 6.*) distantem à loco, ex quo trahitur; quamuis autem iure antiquo Iudex delegatus propinquius accedere potuerit, ut locus iudicii non amplius, quàm duas diætas à diœcesi domicilii ipsius Rei distaret, hodie tamen id concessum non est, ut delegatus procedat extra diœcesin, vel Ciuitatem, respectu cuius delegatio facta est, præterquam si vtraque pars consentiat *cit. c. Statutum. §. In nullo.* Videri potest *Abbas. in 6. Nonnulli. n. 7. de rescriptis.* vbi docet, quod Iudex delegatus non possit exire locum commissionis, idè si respectu Ciuitatis certæ commissio facta sit, extra eam iudicare nequeat, sin autem in certa diœcesi deputatus sit, intra illam (dummodo in loco insigni *cit. c. Statutum. in principio.*) & non extra cognoscere possit.

Quod si verò Reus coram Iudice, ad què conueniri possit, siue ratione domicilii, siue beneficii, siue Rei sitæ aut contractus, tunc ad eundem quoque locum per rescriptum Apostolicum trahi potest, imò & ad eandem illam diœcesin sicut *Abbas. notat. c. dilectus. n. 4. de rescriptis.* nam sicut Reus coram Ordinario in diœcesi conueniri posset, ita etiam coram delegato Papæ, quia is omnibus in locis cum ordinariis Prælatibus in iurisdictione concurrat.

Quæ. An per Apostolicum rescriptum ultra vnâ diætâ (seu 12. leucas aut miliaria) à fine diœcesis suæ citatus comparere teneatur. Resp. Cum *Abbate hic*, si notorium sit, quod citato competat exceptio declina-

clinatoria fori, eum non obligari, ut compareat, quia quæ notoria sunt, allegatione non egent, uti videre est apud *Felin. in c. Cum ordinem. n. 8. de re scriptis.*

CAPITULUM VIII.

Dilecti filii.

PARAPHRASIS.

Cum Marcus in Priorem Ecclesiæ Gangrensis electus esset, tres Canonici electioni se opposuerunt, quamobrem Marcus contra illos, Iudices delegatos impetrauit à Pontifice; coram his comparentes Canonici exceperunt contra Marcum, quod cum in excommunicatione esset, & in periurii crimine actio & petitio eius recipi non deberet, sed Marcus replicauit, duos ex illis Canonicis etiam excommunicatos esse, tertium autem periurum, ideoque ipsorum exceptionem reiiciendam. Contra opposuit Procurator trium Canoniorum, replicationem istam frustra afferri, quia tametsi probata esset, non tamen Canonicos à defensione Ecclesiæ suæ repelleret. Adiecit discrimen esse inter obiectam exceptionem & vicissim ingestam replicationem, quia si exceptio contra Marcum probata fuerit, eum repellat ab actione; at verò replicatio tametsi probata fuerit, non repellat Canonicos à defensione. Nihilominus Iudices interlocutoriè pronuntiârunt, prius esse recipiendas probationes super replicatione, sed Marcus contra interlocutionem appellauit ad Innoc. III. qui resp. si ita se res habeat, in irritum esse reuocanda, quæ post appellationem gesta sunt.

S V M M A R I V M.

1. Replicatio non exclusiua exceptionis, & hæc actionis repelli debent, alias appellari potest.
2. Pralato aut Reftori electo confirmationem petenti, si de eadem Ecclesia aliqui se opponant per exceptionem excommunicationis, vel criminis repelli nequeunt.
3. Preferendi tamen non criminosi, si adessent, qui opponere vellent, Excommunicati ab

excommunicatione absoluedi vel repellendi, si obstinate ab ea absolui noluerit.

NOTA I. Replicatio reiici debet tanquam inutilis, si talis sit, ut tametsi probata fuerit, exceptionem non excludat, nam sicuti ad omnem exceptionem (intellige peremptoriam) requiritur, ut per eam excludatur actio siue intentio ac jus agentis, ita ad omnem replicationem requiritur, ut oppositam exceptionem elidat, quare cum generatim loquendo nemo admitti debeat ad probandum, quod probatum non releuat. *Ad probationem. 21. C. de probationibus. vbi gl. ait: id debet quis probare, quo probato iuuatur; replicatio autem nisi exceptionem elidat, replicantem non adiuuat, sicuti nec exceptio excipientem, nisi actionem elidat, ideò sequitur, quod replicatio non exclusiua exceptionis, sicuti & exceptio non exclusiua actionis repelli debent, alioquin contra Iudicem appellari possit.*

NOTA II. Si Pralato, aut Reftori electo confirmationem petenti, qui ex eadem Ecclesia sunt, se opponant, inhabilitatem eius allegantes, non possunt hi per exceptionem excommunicationis, aut criminis repelli. Ita cum *gloss. hic. verb. defendendo*, docent *Hofiens. Abb. Alexand. Felin. & alii contra Innoc. c. Cum inter. hoc. tit.* Qui respondet ad istud *c. Canonicos fuisse reos necessarid cum fuerint tracti ad iudicium à Marco, verum ex textu & casu huius Capituli satis colligitur, Canonicos se prius electioni opposuisse, at verò Marcum causam ad Curiam Romanam derinasse, atque Iudices delegatos impetrasse, coram quibus per actionem confessoriam volebat declarari, se legitime electum fuisse, at verò Canonici repellebant illum ab omni actione circa jus electionis intentanda, aut scriptum impetrandum cum esset excommunicatus & periurus. Hanc autem exceptionem repelli non posse, ait Pontifex, per replicationem, quia & ipsi excipientes excommunicati sunt, aut periuri, quia tametsi id probatum esset, nihilominus exceptioni pro defensione Ecclesiæ obiectæ locus foret.*

Neque his obstat *Cap. Exhibita 19:*

§ § § 2

de

de iudic. ubi admittitur exceptio, quam electus obiecit, Canonicis se opponentibus, dicendo eos in excommunicatione esse constitutos; nam respondeo cum *gl. hic. verb. excommunicationem*, casus esse diversos, si enim Canonici vitrò agant, ut electio cassetur, tunc obiici ipsis potest excommunicatio, ut repellatur ab actione; sin autem ipse electus confirmationem petat, & ideo compareant aliqui pro defensione Ecclesiæ, qui ostendere volint esse indignum, non potest illis obiici excommunicatio, aut crimen; si enim in tali casu excommunicato concessum est, ut se opponat pro iure proprio tuendo, ut dixi in *c. Cum inter. hoc tit.* multò magis pro iure, quod ipsi cum pluribus aliis commune est, ne Prælatum indignum accipere cogatur.

Veruntamen si alii adsint non criminosi, qui se opponere & inhabilitatem probare velint, haud dubiè præferri debent; dein si excommunicati absolui tunc possint, absolutio iis conferenda; priusquam admittantur; sin autem absolutionem obstinatè petere vel accipere renuant, ideòque in crimine perseverent, tunc in hoc casu valdè probabilis est sententia Innoc. III. eos mox repellendos esse, cum non bono Zelo Ecclesiæ suæ defendendæ procedere videantur.

CAPITVLVM IX. Apostolicæ.

PARAPHRASIS.

Cum Archiepiscopi Pragensis electio celebrata esset, & eam aliqui impedire vellent, duo Canonici Romam se contulerunt, ut electionis causam & Episcopi electi confirmationem promoverent, sed obiectum ipsis fuit, quod sententiæ suspensionis & amotionis à beneficiis latæ essent in ipsos, tunc replicauerunt Canonici, quod sententiæ irrita fuerint, & ad hoc probandum per testes & instrumenta se obtulerunt, tunc Gregor. IX. respondit: Ne Pragensis Ecclesiæ ordinatio per eiusmodi obiectionem seu exceptionem diutius retardetur, se sententias illas relaxare ad cautelam.

SUMMARIUM.

1. *Canonicus suspensus ab officio, & depositus à beneficio, non potest proprio nomine agere pro iuribus Ecclesiæ.*
2. *Ordinarius propter utilitatem publicam, etiam non requisitus à parte, absolutionem aut relaxationem sententiæ ad cautelam, exacto prius juramento parendi Ecclesiæ mandatis imperari potest.*

NOTA I. Canonici suspensus ab officio & depositus à beneficio, non potest proprio nomine agere pro iuribus Ecclesiæ, videlicet ut Episcopus electus confirmetur: ita *gloss. hic. verb. contingenter in fin.* Cum enim suspensus ab officio non possit eligere, nec eligi. *c. Cum dilectus. 8. de consuetudine.* ideòque iure capitulari priuatus sit, & multò magis ille, qui à beneficio Canonicatûs depositus, siue eo priuatus est, hinc sequitur, quod suo nomine agere non possit, ut electio confirmetur, cum eius interesse non censeatur, dixi autem quod nomine proprio siue ut Canonici agere non possit pro causa electionis; at verò ex mandato Capituli seu ut Procurator eius, agere non prohibetur, cum à communionem fidelium propter suspensionem, aut priuationem amotus non sit, sicuti Abbas: *hic monet. n. 4.*

Nota II. Ordinarius propter utilitatem publicam, etiam non requisitus à parte, absolutionem aut relaxationem sententiæ ad cautelam exacto prius juramento parendi Ecclesiæ mandatis imperari potest, *argum. c. veniens. 28. de testibus. & dixi l. 1. ty. 5. p. 1. c. 7. n. 9.* solet autem absolutio, vel relaxatio ad cautelam conferri (videlicet ab eo, qui etiam absolute loquendo absoluendi potestatem habet) quoniã dubium & incertum est, verum censura contracta sit nec ne, ut in casu huius cap. cum Canonici negarent sententias valdè latas esse, atque id cognosci statim non poterat, moram autem longam trahere cum Ecclesiæ detrimento, consultum non erat.

CAPITVLVM X.

Dilectæ.

PARAPHRASIS.

Controuersia de decimis & aliis rebus erat inter

inter Priorissam & Conventum de Cöpeffia ex parte vna, & Priorem ac Conventum de Burcellia ex altera parte, quam Pontifex Abbati Benedicino, & aliis quibusdam delegarat; cum autem moniales se grauari existimarent, ad sedem Apostolicam appellarunt, & nuncium ad prosequendam appellationem Romam miserunt, nihilominus Iudices post interpositam appellationem eas excommunicarunt, tunc Gregor. IX. causam appellationis ad petitionem Monialium commisit Abbati de Angles & Coiudicibus, nullam in literis factam mentionem excommunicationis, quare pars aduersa, videlicet Prior, cum excepisset de Monialium excommunicatione, cuius nulla mentio esset in literis Apostolicis, eamque exceptionem Iudices admittere nollent, ad sedem Apostolicam appellauit, aliosque Iudices, videlicet Abbatem de Gernemoe cum sociis impetrauit, coram quibus Moniales replicarunt, quandoquidem sententia excommunicationis in ipsas lata fuerit postquam appellarunt, & cui libet etiam excommunicato defensionis auxilium comperere debeat, idem recte Iudices egisse in priori appellationis causa datos, videlicet Abbatem de Angles & socios, quando exceptionem Prioris admittere noluerunt. Veruntamen Prior de Gernemoe & socij, Monialium hanc defensionem & replicationem reiecerunt, atque idem ipse denuo ad Papam appellarunt, qui sic rescribit ad Decanum Linconensem, mandans ei, si narrata vera sint, vt in statum pristinum restituat, quidquid post Monialium appellationem attentatum est, & postea in negotio ipso procedat, sicuti antea Priori de Gernemoe & Coiudicibus eius mandatum erat.

Pro intellectu Capituli adverte. Cum Gloss. finali, quod tribus vicibus Iudices delegati fuerint, super causam appellationis quam obrem vltimus Iudex, videlicet Decanus, si appellationem legitimam esse cognouit rescissis attentatis, procedere debuit in negotio principali, secundum

tenorem prescriptum Abbati de Gernemoe, vt in textu dicitur. Credibile autem est eum fuisse tenorem Apostolici rescripti, qualis communi iure esse solet, vt si Moniales legitime appellasse appareat, procedat in negotio principaliter definiendo, sin autem illegitime; ijs in expensas condemnatis causam remittat ad Iudicem a quo videlicet Abbatem de Angles, qui & ipse causam decidere deberet, si legitime a Monialibus appellatum cognosceret, sin autem illegitime, condemnatis Monialibus in expensas, causam principalem ad primum Iudicem a quo videlicet Abbatem Benedicinum remitteret. Ita habetur in c. *Ve debitus 59. de appell.*

S V M M A R I V M.

1. Appellans non obstante excommunicatione, quomodo prosequi possit appellationem.
2. Appellatione pendente nihil debet innovari, aliis attentata revocari debent.
3. Quando attentatio revocatorum locum habeat erga iudicem, quando erga partem.

Not. I. Appellans non obstante excommunicatione appellationem prosequi potest, quod duobus modis intelligi potest. 1. Quod, qui a Iudice per sententiam excommunicatur, ab ea appellare possit, & appellationem prosequi iuxta cap. vlt. hoc tit. c. 1. de rescript. in 6. 2. Si quis appellauerit a Iudiciali grammine, Iudex autem posthabita appellatione, nihilominus processerit ad excommunicationem, quod ea nihil obstante appellans appellationem prosequi, & in iudicio contendere possit, imò verò talis excommunicatio, quae post interpositam appellationem lata fuit, pro irrita haberi, idemque eius nulla ratio haberi debeat, sicuti hinc *Alexand. de Neno tradit n. 40.*

Not. II. Appellatione pendente nil debet innovari, seu de nouo attentari, alioquin attentata revocari debent cap. *Non solum. 7. de appell. in 6.*

Controversia hic est inter *Innoc. & Hostiens.* Vtrum revocatio attentatorum habeat locum erga Iudicem, an etiam erga partem prius Innoc. vult, posterius Hostiens. sed respondetur distinguendum esse inter appellationem

lationem extra Iudicalem & iudicalem; illa erga quemvis etiam non Iudicem tendere potest, & consequenter eam pendente nil mutari debet à parte, contra quam facta est, v. g. cōtra Canonicos, ne in electione procedant, iuxta *c. Bona, 23. de electione*. Hæc autem propriè ac directè tendit contra Iudicem, vt is nihil interea mutare debeat; indirectè verò respicit partem, vt nihil agat, quo status causæ immutetur, iuxta *cap. Cùm teneatur, 17. de appell.* ex quo habetur, quòd per remedium attentati revocandi adiri possit Iudex, à quo appellatum est, quia sicuti ipse pendente appellatione nil immutare debet, ita etià prohibere & revocare, si quid ab altero immutetur, aut attentetur, imò hoc ipso, quòd Iudex à quo appellationi defert, tacitè prohibere censetur parti, ne quid innovet, aut attentet, v. g. occupando rem sibi per sententiam adiudicatam, à qua appellatū est, sicuti Baldus notat in *l. 3. n. 5. C. de appellat.*

CAPITVLVM XI.

Significauerunt.

PARAPHRASIS.

Canonici Tornacenses P. Clericū elegerunt in Archiepiscopum, sed Mediolanensis Archiepiscopus eum confirmare noluit, prætendens sibi jus eligendi competere, atque re ipsa Zephum Clericum instituit, eapropter Canonici ad sedem Apostolicam appellantes, impetrârunt causam committi Præposito S. Stephani. Is pronuntians jus eligendi ad Capitulum pertinere, electionem de P. factam confirmavit, at verò partem adversariam videlicet Archiepiscopum & Zephum à petitione Capituli absoluit; tunc partes à sententia ista Præpositi appellârunt ad sedem Apostolicam, & causam Abbati Papiensi atque Præposito Vercellensi committi impetrârunt, corâ quibus ex parte Archiepiscopi & Zephi contra Capitulum excommunicationis exceptio obiecta est. Tunc Iudices isti non considerantes quòd prætextu exceptionis oppositæ aliquis à prosecutione appellationis repelli nō debeat, cūm omnis legitima defensio in iudicio excomu-

nicatis reseruata sit) decreuerunt Archiepiscopum & Zephū ad respondendū non esse cogendos, ab hac verò sententia cūm Canonici ad Greg. IX. appellassent, ipse mandat eis dē Iudicibus, vt nō obstāte exceptione in negotio ipso procedant.

SUMMARIVM.

1. Episcopo, ad quem confirmatio electi Prælati spectat, nolente eum confirmare, vel protrahente, Capitulum grauatum per viam appellationis aut querelæ, ad superiorem recurrere potest. Et quod tum huius officium.
2. Sententia Iudicis plures articulos continere potest, in quorum vno pars accusata condemnatur, in altero absoluitur.
3. Victor in principali negotio appellere potest ratione expensarum sibi negatarum, ad quod tamen opus est, vt eas petierit.
4. Si iudex ad expensas petitis non condemnet, tenetur pro ijs, de suo satisfacere.
5. Communi iure receptum est, vt pars victa non condemnatur ad expensas, si ratione probabili ducta in iudicio contendit.
6. Censentur expensa petita, si in libello petitum, vt omnis meliorem modo iustitia administratur.

Notandum I. Si Episcopus, ad quem confirmatio Prælati electi spectat, eam neget, aut protrahat, censetur Capitulum, aut Conuentus grauari, vt per viam appellationis, aut querelæ ad superiorē recurrere possit, is verò de controuersia cognoscet, si aliqua sit inter Episcopum & Conuentum de iure electionis, vt in casu huius Capituli. Sin autem Episcopus Conuentui non neget jus electionis, tunc illi tempus definietur intra quod electum, præmissis examine, confirmare debeat, sicuti docet *Abb. in s. 2. n. 13. de consec. præbenda.*

Not. II. Sententia Iudicis plures articulos continere potest, in quorum vno pars v. g. accusata condemnatur, in altera verò absoluitur; fortassè enim inquit, *Gloss. e. insuper.* petebat partem adversam ad expensas litis condemnari, ab eaque petitione repulsam tulit, ex qua doctrina habetur, quòd vtraque pars appellare possit à sententia, quatenus

tenus ea sibi contraria est, & ita observant practici, quod appellant à sententia Iudicis, quatenus sibi adversatur. Vterius colligitur, quod qui in principali negotio victor est, appellare possit ratione expensarum sibi negatarum.

3. Veruntamen ad hoc ut victor (non appellante victo) propter expensas appellare possit, opus est, ut eas petiverit propter Regulam, quam ex *Durand. in spec. l. 1. p. 1. tit. De jurisdictione omnium Iudicum. §. 4. verb. Quid sit Iudex.* tradit hic *Abb. n. 10.* non esse locum appellationi, si Iudex aliquid intermittat, quod ex officio agere posset, aut deberet parte non petente. v. g. si excommunicatum actorem ex officio non repellat. Igitur & in hoc casu licet Iudex ex officio partem victam ad expensas condemnare possit & quandoque debeat, *authent. de Iudicibus §. Opporret, & c. Calumniam. 4. de penis,* tamen non est concedenda appellatio, si pars expensas litis non petiuit.

4. Simile est quod Iudex ex suo satisfacere non cogitur pro expensis, quæ petite non sunt, secus vero dicendum, si petite fuerunt, & Iudex ad earum restitutionem non condemnavit, secundum Glossam receptam in *c. ult. ver. b. expensis, de rescriptis.*

5. Veruntamen in quibusdam tribunalibus consuetudo viget, ut sumptus litis, quos victor fecit, parti victæ remittantur, nisi appareat, vel præsumptio sit, quod per calumniam seu sciens causam iniustam se habere, in iudicio contenderit, aut malitiosè causam protraxerit, id vero communi jure receptum & æquum est, ut pars victa ad expensas non condemnatur, si ratione probabili ducta in iudicio contendit, videlicet ex errore facti, aut dubij Iuris, ut colligitur ex *l. Qui solidum. §. Etiam. ff. de legatis. 2.* & videri potest *Gl. in c. Finē. 5. verb. expensas, de dolo & contumacia.*

Ad extremum circa expensas petendas id observat *Gail. l. 1. obser. 51. n. 22.* Quod si expensæ censeantur, si in libello petatum fuerit, ut omni meliori modo justitia administratur, sic enim pars Iudicis officium implorâsse censetur, tam super principali, quam super accessorijs.

CAPITVLVM XII.

Exceptionem.

PARAPHRASIS.

Quamvis exceptio excommunicationis inter dilatorias numeretur, quarum hæc conditio est, ut ante litis contestationem opponi debeant, tamen dicta exceptio hoc peculiare habet, quod in qualibet litis parte opponi queat, ne aliquis cum animæ periculo excommunicato communicare cogatur. Veruntamen si eam exceptionem opponere Reus distulit, ita, ut Actor laboribus & sumptibus frustra fatigaretur, ad præstadas expensas legitimè condemnari debet. Porro qui publicè excommunicatus est, etiam parte non excipiente, à Iudice ex officio repellendus est.

SUMMARIVM.

1. Exceptiones dilatoria ante litis contestationem opponi debent, & quidem intra terminum à iudice assignatum.
2. Exceptio contra iudicem alijs exceptionibus præmitti debet.
3. Exceptio excommunicationis etiam post litem contestatam usque ad latam sententiam obijci potest, & respectu excommunicati non tolerari seu vitandi etiam debet.
4. Iudex etiam que in facto consistunt, si notoria sint, ex officio supplere potest, & quandoque debet.

Nota I. Exceptiones dilatoriæ ante litis contestationem opponi debent, de hoc dixi in *c. 1. De litis contestatione in 6.* Hic vero duo addenda: Primum, si terminus dilatorijs exceptionibus proponendis à Iudice decretus sit, tunc intra eum terminum proponi debent, ita ut postea (nisi de novo ortæ, aut cognitæ sint) proponi non possint, tamen si lis contestata nondum sit, quia terminus ab homine, videlicet à iudice, statutus succedit in locum termini constituti à Iure, ut docet *Abb. in c. Pastoralis. num. 15. hoc tit.*

Alteriù: pars litigans ante omnia considerare debet, num exceptionem dilatoriã contra Iudi-

Judicem, cum recusando, ut suspectum, vel eiusdem jurisdictionem inficiando proponere velit, tum enim cavere debet, ne prius aliam opponendo exceptionem, v.g. rescriptum esse subreptitium, adversarium esse excommunicatum, expresse aut tacite petat, de hoc cognosci, & sic in Iudicem consentire censeatur, idè ante omnes dilatorias exceptiones ea, quæ contra Iudicem est, afferri debet, quanquam si vnà cum ea etiam alia dilatoria opponantur, conditio exprimi potest, vel etsi nō exprimatur, subintelligi censeatur, si Iudex competens iudicatus fuerit, quare hoc casu ante omnia alia ea exceptio discuti debet, quæ de re *Abb. hic. & Alexand.*

1177. 15.

Nota II. Exceptio excommunicationis etiã post litem contestatam vsque ad laram sententiam obijci potest, Ratio affertur in text. quia in hac forensi communicatione cum excommunicato vertitur periculum animæ, sed cuiusnam periculum excommunicatione, an eius, qui cum excommunicato comunicat? Respondeo, Pontifex hic loquitur de periculo animæ seu peccato, quod litigans incurrit propter communicationem; id verò tantum locum habet respectu excommunicati vitandi, seu non tolerati; quare tali casu excommunicatus à parte litigante, vel eã intermittente, à Iudice etiam post litem contestatam repellere non tantum potest, sed etiam debet; sin autem sermo sit de excommunicato tolerato, seu non vitando, tunc dicendum, quod talem seu ante seu post litem contestationem pars litigans repellere possit, ita ut interea donec exceptio excommunicationis probata sit, Iudex procedere vel Actorẽ excommunicatum ad intentionem suam probandam admittere nequeat, vti colligitur ex *c. hoc tit. in 6.* & tradit *Suar. de cens. disp. 16. s. 3. n. 5.* Ratio assignatur in *c. 1. vt magis censura Ecclesiastica timeatur, & vt contumacia reprimatur*, ea enim tractum successivum habet, idè oq; semper cum peccato ex parte excommunicati iuncta est, quippe qui continuo peccat, si absq; necessitate comunicet cum fidelibus, tamen si vitandus non sit, quandoquidem per Cõstantiens, extravagantem ad

evitandum nullus favor excommunicationis toleratis factus est, quominus ipsi quatenus est ex sua parte fideles reliquos vitare teneantur, atque si de illorum excommunicatione constet à fidelibus repelli possint, sicuti iure antiquo poterant, vti notavit *Anila de censuris. p. 2. c. 6. Disp. 7. d. 1.*

Nota III. Iudex etiam, quæ in facto consistunt, si notoria sint, ex officio supplere potest, & quanquã debet propter animæ periculum vitandum, & publicæ justitiæ vel Ecclesiæ bonum defendendum, sicuti in nostro casu videre est, cum excommunicatus vitandus in iudicio agit; sin autem vitandus non sit, tamen publicus & notorius Iudex eum potest repellere, sed non tenetur, vti docet *Suar. Disp. 16. de cens. 3. n. 2.*

CAPITVLVM XIII.

Adversario.

PARAPHRASIS.

Petebas à Titio per rei vindicationem ædes quas tempore litis contestatæ possidebas; postea verò desistit possidere absque culpa sua, idè oq; à Iudice absolutus fuit, postea easdem ædes iterum possidere cepit, quas cum iam denuò vindicare vis, ipse opponit exceptionem rei iudicatæ, seu quod per Iudicis sententiam à petitione tuã absolutus fuerit, hoc casu ait Gregorius IX, Titium audiendum non esse.

SVM MARIVM.

1. Possidens rem tempore litis contestatæ, quam postea lite pendente absque sua culpa possidere desistit, actione in rem seu vindicatione non condemnatur, sed absolui debet, nisi dolo vel culpa lata desierit possidere.
2. Qui dolo possidere cepit, si absque dolo possidere desistit, restituere compellendus est.
3. Erga quemvis detentorem rei, aut commodatarium, conductorem, aut depositarium, vindicatio seu in rem actio, Domino competit.
4. Exceptio rei iudicatæ non competit cessante causa, ob quam sententia lata est.

Nota I. Qui tempore litis contestatæ rem possidet, postea verò lite pendente absque

absque culpa sua possidere desit, actione in rem seu vindicatione non condemnatur, sed absolui debet, *l. Sin autem. 2. §. Possidet. ff. de rei vind.* Ratio est, quia per sententiam condemnari deberet, ut restitueret, non potest autem restituere, si non habet, ergo non debet tali sententiâ condemnari.

Excipe 1. Nisi dolo, vel culpa lata, quæ dolo æquiparatur, desierit possidere, iuxta *l. Quod si. 2. §. ff. eodem. l. 1. iuncta Gloss. verb. culpa. C. depositi & regul. 36. in 6.* pro possessore habetur, qui dolo desit possidere, & idèd vtili in rem actione seu vindicatione condemnari potest. *l. l. 2. §. Si is quem. ff. Denonalius actionibus.*

Potèd quòd dolo quis desierit possidere, id ab altero probari debet. *l. Quoties. 18. §. Qui dolo. ff. de probationibus,* nisi desierit possidere post litem contestatam, teste *Gloss. hic. verb. dolo.* Imò etiam si post citationè in certa causa, sicut hìc Abbas docet, & *Alexand. n. 4.*

Excipe 2. Quòd bonæ fidei possessor, si pro re vendita pretium accepit, illud domino rei, si illam recuperare non possit; restituere cogatur, quia pretium succedit loco rei, ut colligitur ex *l. Item §. Si quis. ff. de rei vind.*

2 His adde 1. Quòd qui dolo possidere cepit, v. g. fur, aut raptor, si absque dolo possidere postea desit, restituere compellendus sit. *l. Penultima. ff. de rei vindic.* Vbi dicitur, quòd prædo etiam teneatur de fortuito interitu rei, & *l. ult. ff. De conditione fortuita.* Quòd ad furem semper spectet, periculum interitus, cum semper in mora sit. Cæterum, si res eodè profus modo peritura fuisset apud Dominum, etsi ei subrepta non fuisset, quòd fur, aut prædo nò teneatur ad restitutionem, cum causa damni non fuerit, docui *l. 3. tr. 3. de just. c. 4. n. 2.*

3 Adde 2. Quòd erga quemvis detentorè rei, aut commodatarium, conductorem, aut depositarium, vindicatio seu in rem actio Domino competat. *l. Officium. 29. ff. de rei vind.* Sed potest is nominare illum cuius nomine possidet, ut in iudicium vocetur, si rem defendere velit. *l. 2. C. ubi in rem actio,* & notat *Gloss. in cit. l. officium.*

Not. II. Exceptio rei iudicatæ non competit cessante causa, ob quam sententia lata est. Exemplum habes hic, reus per sententiâ absolutus fuit, quia tunc non possidebat; idèd si postea possidere incipiat, non potest se defendere exceptione rei iudicatæ, quò minùs restituat. Item aliquis, qui promiserat sub conditione, se quidpiam daturum, aut in diem certum absolutus fuit, quia conditio non evenit, aut dies nondum advenit, non potest se defendere exceptione latæ sententiæ, postquam dies advenerit, vel conditio evenierit.

CAPITVLVM XIV.

Venerabilem.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Narbonensis à Iudicibus propter gravamen sibi illatum appellavit ad sedem Apostolicam, impetrans rescriptum super causa appellationis ad alios Iudices. Coram his obijciebatur illi, quòd tempore rescripti in excommunicatione fuerit, cuius in rescripto nulla mentio fieret. Hoc non obstante respondit Gregor. IX. Archiepiscopum ad prosequendam appellationem vigore eius rescripti admittendum esse, nam alioquin frustra excommunicatis concessum esset appellare, nisi etiam appellationem prosequi, & super ea rescriptum impetrare possent.

SUMMARIUM.

1. Concesso uno, censentur concessa ea, sine quibus illud inutile, & inefficax foret.
2. Qui potest in iudicio agere coram Papa, vel alio principe, potest etiam rescriptum impetrare.

Not. vnicum. Si quidpiam alicui concessum sit, censentur etiam ea esse concessa, sine quibus illud inutile seu inefficax foret; exemplum habes hìc, cum excommunicato concessum sit à sententia lata appellare, concessum etiam censi debet, ut appellationè prosequatur, & super causa appellationis rescriptum ad Iudices delegatos impetret, quia frustranea foret appellatio, nisi eam prosequeretur.

h h h

Ex-

Excipiendum est; Nisi quis appeller ab ipsa sententia excommunicationis, dicendo, eam esse iniuste illatam: cum enim ita appellans confiteatur se excommunicatum esse, merito repellitur à prosequenda appellatione, nisi prius absolutionem procuret, & impetret. *cap. Per tuas. 40. de sentent. excommunicationis*, ne alioquin excommunicationem contemnere videatur.

Porro ex tradita doctrina generalior regula inferri potest, quod quicumque in Iudicio agere potest coram Papa, aliove Principe, etiam rescriptum impetrare possit, quare cum Procurator generalis causam in iudicio agere queat, *c. Qui generaliter. 5. de Procurat. in 6.* Sequitur quod etiam rescriptum impetrare possit sine speciali mandato, id verò intelligi nomine suo; sed ut nomine Domini impetret, indiget mandato eius speciali, *c. Nonnulli. 28. §. Sunt & alij. Gloss. verb. sine speciali. de rescript.* & ita tradit *Abbas. ib. n. 3.*

EODEM TITULO DE
EXCEPTIONIBVS IN VI.
CAPITVLVM I.

Pia.

PARAPHRASIS.

Piè & rectè in S. Ecclesia statutum fait, vt excommunicationis maioris exceptio in quacunque parte litis opposita, lites dirimat, & repellat agentes, vt Ecclesiastica censura magis timeatur, communionis periculum vitetur, contumacia reprimatur, atque excommunicati, dum à communibus actibus excluduntur, rubore suffusi, ad humilitatis & reconciliationis desiderium inclinentur. Verùm quod rectè prouisum fuit remedium, per hominum malitiam vertitur in nocumentum; dum enim in Ecclesiasticis causis talis exceptio frequenter per malitiam opponitur, differuntur negotia, & partes laboribus atque expensis frustra fatigantur, ideòq; æquum est, vt huic malo passim inualescēt medela adhibeatur; que madmodum Innoc. IV. in Lugdun. generali Concilio decreuit, vt si quis excommunicationem a-

licui obijciat; speciem eius, & nomen excommunicatoris exprimere debeat, eamq; rem in publicā Iudicis notitiam deferat, ita vt post eam diem, in qua excommunicationē obiecit, intra octiduum proximum eam probare teneatur apertissimis documentis, quod si non probauerit, Iudex in causa procedet, & reum in expensis, quas actor interim se fecisse probauerit, præmissa taxatione condemnabit. Sin autem reus præcedente instātia causā denuo excommunicationem obijciat, eamq; probet, actor ulterius admitti non debet, donec absolutus fuerit, quæ tamē antecesserunt acta, firma manebūt; quod si verò reus in probanda intra octiduum excommunicatione defecerit, tertio excipere volens, audiendus non est, præterquā si noua excommunicatione emerferit, vel evidens, aut expedita probatio antea obiectæ excommunicationis de nouo supervenerit. Cateum si post latam sententiā exceptio obiecta fuerit, eius executionē impedit, sed ipsa sententiā antecedenter in suo robore permanebit. Verùm si actor publicè excommunicatus sit, idq; iudex sciat, tum actorē etiā, reo non excipiente, repellere debet.

S V M M A R I V M.

1. Excommunicatus repellitur à iudicio vt actor, non autem vt reus.
2. Exceptio excommunicationis Actori, sicuti testi, in quacunque litis parte vsque ad sententiam obijci potest.
3. Cum excommunicato Actore, Procuratore, Advocato, teste, si vitandi sint, in iudicio communicare illicitum est, acta tamen valent.
4. Si excommunicatio iudici obijciatur, pars excipiens, eum recusare potest, tanquam suspectum, nisi sponte in eum consentiat, aliumque iudicem petere, vel ad arbitros confugere.
5. Limitatur & explicatur.

NOta I. Excommunicatus repellitur à Iudicio si sit tanquam actor, oppugnare volens; non item, si sit, vt reus, defendere se volens. *c. 2. c. Inter. c. Exceptionem. hoc tit.*

Not

Cùm quidam.

PARAPHRASIS.

Si Titius Laicus in causa mixti fori seu ad Iudicem tum Ecclesiasticum, tum sæcularem, secundum iura, vel consuetudinem pertinente, in Ecclesiastico foro ab impetitione adversarij absolutus fuerit, postea verò tractus ad Iudicem sæculare super eadem causa, rei iudicatæ exceptionem opponat, Iudex sæcularis exceptionem (sicuti de iure convenit) admittere debet, & ad id ab Ordinario Ecclesiastico per censuram cogi potest. Similiter verò & Ecclesiastici Iudices, si coram ipsis opponatur exceptio causa à sæculari Iudice iudicatæ, eam admittere tenentur, si animarum periculum non vertatur, sin autem non admittant, ubi admittere debent, per superiores suos puniendi sunt.

SUMMARIUM.

1. Iudex secularis exceptionem lata sententia in foro Ecclesiastico admittere debet, si nolit, per censuram cogendus.
2. Sententia à iudice competente inter easdem personas, & in eadem causa, valet etiam coram alio iudice, licet sit alterius fori.
3. Iudex Ecclesiasticus non debet admittere sententiam latam à iudice seculari, si cum anima periculo sit coniuncta.

NOta I. Si Iudex sæcularis Ecclesiasticæ Iurisdictioni derogare velit, videlicet, non admittendo exceptionem latæ sententiæ in foro Ecclesiastico, per censuram compesci potest.

NOta II. Sententia latà à Iudice competente inter easdem personas, & in eadem causa, valere etiam debet coram alio Iudice, quamvis alterius fori sit. Ita *Geminian. Ancharan. & alij hic paulo post principium*. Ratio est, quia per Iudicis sententiam jus parti acquiritur, quod alius Iudex lædere non debet, idque maximè procedit, si loquamur de foro Ecclesiastico & Ciuili, quæ
h h h 2 licet

2 Not. II. Exceptio excommunicationis auctori sicuti testi in quacunq; litis parte. vlt que ad sententiam obijci potest, *cit. c. Exceptione*. Imò tamen si semel succubuerit Reus in exceptionis huius probatione, iterum admittitur, si probare velit, idque ob odium excommunicati, quod semper durat; tertiã tamen vice cùm malitiæ præsumptio contra reum sit, non admittitur ad probandum, nisi in casibus in textu expressis.

3 Nota III. Acta Iudicij cum excommunicato etiam vitando, qui repulsus non est, valida censeri debent, siue vt aliter dicam, cum excommunicato auctore, itē Procuratore, Advocato, Teste si vitandi sint, in Iudicio communicare illicitum est, tamen acta valent, vti docui. *l. i. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 14*. Hic verò adde ex Gloss. recepta hic verb. *proponi*. quòd exceptio excommunicationis contra auctore, seu petitorẽ duobus modis proponi potest, vel in modum dilatoriæ ad processum duntaxat impediendum, saluo iure auctoris, secundum quod petitionem suam proponere poterit, postquã ab excommunicato solutus erit, & hic est casus Capituli nostri. 2. Per modum peremptoriæ, videlicet, si electo Prælato confirmationẽ petenti obijciatur, quòd electio de ipso excommunicato, vel ab excommunicatis facta fuerit, quo casu de maiore præiudicio agitur, quia probatã exceptione omninò perit jus petitoris.

4 Quis porò de exceptione excommunicationis cognoscere debeat, si Iudici obijciatur, tractat *Francus hic n. 30*. dici potest, quòd pars excipiens, nisi sponte in Iudicem consentiat, eum recusare possit, tanquam suspectum, qui de hac causa ipsemet cognoscat, & idèò alium Iudicem petere, vel ad arbitros confugere, sicuti dixi *in c. Si quis. 4. de foro compet.* Intellige hæc, si dubium sit de excommunicatione, quæ Iudicem vitandum non efficit; sin autem quæstio sit, an Iudex v. g. propter Clerici percussorem excommunicationem Canonis contraxerit, ipsemet cognoscere haud potest, neque alteri cognitionem delegare, eò, quòd Iurisdictionis eius fundata non sit, vti docui in *Disputat. de Iurisdictione, conclus. 45*.

licet diversa sint, tamen se invicem adiu-
re, & jura mutuo defendere debent.

Nota III. Judex Ecclesiasticus non de-

bet admittere sententiam latam à Judice
sæculari, si cum animæ periculo juncta sit.
Ita *Geminian. hic & alij.*

TITVLVS XXVI. DE PRÆSCRIPTIONIBUS.



Um præcedente Titulo de ex-
ceptionibus generatim dictum
sit, subiungitur materia de præ-
scriptionibus, quia præscriptio
species quædam est perempto-
riæ exceptionis, uti docui *l. 3. Th. Mor. tract.*
l. de Inst. cap. 8.

CAPITVLVM I.

Placuit.

PARAPHRASIS.

Si quispiam Prælatorum locum aliquem ad
fidem Catholicam converterit, & per tri-
ennium tenuerit, non repetente Episcopo
ad quem de jure pertinet, ulterius repeti
non potest. Verùm si Ecclesia Cathedra-
lis vacauerit, non præiudicatur ei, quo-
minùs constituto Episcopo locus repeti
queat; Deinde si Episcopus ab hæresi ad
fidem Catholicam redierit, ex tempo-
re reditùs triennium ipsi conceditur ad
repetendum locum, qui ad Ecclesiam
Cathedralem pertinet.

SUMMARIVM.

1. Casus specialis, in quo per triennium præ-
scribitur in iuribus Ecclesiæ ab hæreticis
& schismaticis recuperata.
2. Limitatur hæc doctrina & declaratur.
3. Præscriptio contra Ecclesiam nõ currit dum
ea vacat; neq; si est quis inutilis ad agen-
dum, quamuis non sine sua culpa.

Notandus hic est casus specialis, quo per
triennium præscribitur in iuribus Ec-
clesiæ ab hæreticis & schismaticis recupe-
rata; si enim Episcopus, ad quem Ecclesia

de jure pertinet, seu intra cuius diœcesim si-
ta est, post monitionem ipsi à Coëpiscopis
insinuatam, intra 6. menses recipere negli-
gat, alius vicinus Episcopus, eandem Ecce-
siam recipere seu ad Catholicam fidem re-
ducere potest, *c. Placuit. xv. c. 16. q. 3.* ita qui-
dem, ut si Episcopus ille, ad quem spectat,
intra triennium repetere Ecclesiam omittat,
postea audiendus non sit, idque in Africano
Concilio. *c. 88. & c. 121.* specialiter decretum
est, in fidei Catholicæ fauorem, & ad Epi-
scoporum diligentiam & vigilantiam exci-
tandam.

Excipiendum 1. Si Episcopus, in cuius
diœcesi Ecclesia sita est, idè eam ultra 6.
menses ad fidem Catholicam reducere in-
termittat, quia tempus expectat, quo sine
tumultu securius id peragere poterit *cit. c.*
Placuit. Hoc casu cum justam differendi
causam habuerit, ne præcipitando maius
hæreticis damnum inferret, alius Episcopus
præoccupare ac præuenire non debet.

Excipiendum 2. Quòd præscriptio con-
tra Ecclesiam non currat, dum ea vacat. *cap.*
Auditus. 13. hoc tit. idè què est, si sit inutilis
ad agendum, quamvis non sine culpa sua. v.
g. in Carcerem ob crimen inclusus, vel ex-
communicatus, sicut ex hoc cap. colligitur, &
tradit *Gl. in c. Quia. 13. verb. postliminio. ib. q. 3.*

Quòd verò Abbas *hic. n. 8. tradit.* quòd præ-
scriptio non currat contra excommunica-
tum etiam in iuribus propriis, id verum est,
quamdiu per ipsum non stat, quominus ab-
solutionem impetret. *c. Quia. 5. De concessio-
ne præbende.* Sin autem culpabiliter absolu-
tionem petere omittat, videtur, præscriptio
procedere, teste *Baldo & Alexand. hic*
num. 9. quia non debet censeri impedi-
tus.